

136

134

140

130

145

125

185

085

235

035

Ende

Anfang

125

Aegypto non ex plaga, sed ex natura et a principio, habet enim coelum ferreum, quia, sicut de ferro nullus stillat liquor, sic de coelo supra nullus descendit humor, vel valde tenuis, quia teste Platone in Aegypto numquam pluit nec ningit. Et Augustinus in epistola de Pastoribus dicit: Possum obtinere, mundi meridiem esse partes Aegypti, et illas exustas sole regiones, ibi pluvia non appetat, quasi ipsa est meridies ubi floret medius dies. Dicit autem Vincentius in Spec. Nat. L. V. cap. 47.: Quod si in Aegypto pluere contineret, infinita multitudo murum cresceret. Habet et terram aeneam, quia, sicut aes durissimum est et prae duritia sonorosum est et porosum, sic terra Aegypti durissima, aridissima per omnia, sicut desertum est, cujus lapides prae duritia sicut aes sonant et adeo porosa arena sicca, quod nullam continere potest aquam ex se ipsa. Huic duplici malo subvenit Deus per Nili inductionem: affatim enim praebet Nilus usui, non solum ejus regionis incolis sed extremis quoque, ad quos salliti [?] deferunt, utilitate commodisque caeteros orbis fluvios excellit. Incrementum ejus a solstitio aestivo incipiens usque ad aequinoctium, semperque novum limum secum vehens rigans cultas et incultas regiones quantopere velint agricolae, aqua enim leniter fluente facile cum parvis aggeribus arcent inducuntque pro commodo terrae. Tantam vero fertilitatem infert et agri colendi facilitatem, ut cum seminaverint aut oves introducant in campos ad conculcanda jacta semina, aut aratro levi terram subducant, neque nisi quatuor aut quinque expletis mensibus ad messem redeunt et brevi tempore uberrimos fructus absque ulla pensa aut damno reportant. Alibi agricultura magno labore ac sumtu exercetur, soli Aegyptii minima impensa, labore tenui, fruges fertiles inferunt. Vineae quoque, eodem rigatae modo, vino abundant, terra inculta pecori ad pastum relicta adeo exuberat herbis, ut oves bis in anno pariant, bisque praebeant lanam. Est Aegyptus plana et campestris, suntque urbes, vici et mappalia aggeribus munita, quae inundationes devitant, tamquam cyclades apparent aspicientibus. Haec autem et multa alia bona afferit fluvius haud dubium a benedicto loco suae originis.

(B) Nilus, ut saepe dictum est, emanans primo ex abyso erupit in medio paradisi, ex ingenti et profundissima fovea, sicut suo modo Blavius fluviolus ex fovea valde profunda erumpit. Et illa fovea dicitur caput Nili, ad quod nulli patet aditus propter

